

abundant pituita crassa. Huius febris accessio  
non repente, sed sensim inuadit hominem,  
qua corporis extrema duntaxat refrigerantur  
absque ullo rigore concussionēque corporis:  
dormiendo inexpugnabilis cupiditas cum to-  
tius corporis grauitate excitatur. Plerunque  
etiam ipso accessionis initio animus egrotan-  
tis vel deficit, vel syncope corripitur. Dein  
sensim & ægre calor augescit, magna certe  
inæqualitate: quia æger modò calorem, modò  
frigus percipit. Calor autem in toto corpore  
accensus non acris, sed halitus fusus tangentι  
occurrit; qui quidem nudare corpus non co-  
git, nec huc & illuc iactare: sitim non vehe-  
mentem accersit: paucoque sudore lento de-  
finit. Pulsus accessionis initio parvus est & ra-  
rūs: postea verò celer euadit. Vrina primis  
diebus tenuis & aquosa cernitur ob pituitas  
copiam, quæ valde meatus obstruit & calorem  
natiuum obtterit: postea concocto pituitoso  
humore, crassa turbidaque ac rubra redditur.  
Alius liquida crudaque ac pituitosa deiicit.  
Huius febris tota accessio octodecim hora-  
rum est, intermissio verò sex, quæ raro pura  
& integra existit. Ad pituitosarum febrium  
genus refertur epiala febris per quam in qua-  
uis particula corporis calor & frigus percipiuntur. Huius febris causa continens pituita  
acida, aut vitrea leniter putrescens putatur ef-